


Beitchi



DISSERTATIO

306 a. t

INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

CONSPPECTUM

SYSTEMATICO PRACTICUM

AQUARUM MINERALIUM

MAGNI

PRINCIPATUS TRANSYLVANIAE

INDIGENARUM.

Quam annuentibus

Illustr. ac Magnifico Domino Praeside et Directore, spectabili Domino Decano, clarissimis item D. D. Professoribus,

pro

Doctoris Medici laurea rite obtinenda, in antiquissima et celeb. Univers. Vindobonensi publicae disquisitioni submitit

Sigismundus Béltékí,

Transylvano Hungarus.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus.

Die 21 Mensis Januarii anni 1818.

01 JUN 2004

VINDOBONAE.

1818.

Handwritten signature

52-388

ILLUSTRISSIMO

AC

MAGNIFICO DOMINO

COMITI

PAULO TOROTZKAI

DE

TOROTZKO SZENTGYÖRGY,

SACRAE CAESAREO REGIAE ET APOSTOLICAE
MAJESTATIS CAMERARIO, INCLYTI COMITATUS
TORDENSIS SUPREMO COMITI.

ET

ILLUSTRIS COLLEGI REFORMATORUM A. N.
ENYEDENSIS SUPREMO CURATORI.

PATRONO

MIHI SUMME VENERANDO.

ILLUSTRISSIME DOMINE COMES! ,

Cujus nomine et auctoritate magis ornare hasce pagellas, atque munire possem quam Tuo Illustrissime Comes, qui mihi Inclyti, et tam solerti Auspicio florentis Comitatus Physicatum benigne deferre, atque studii metam attingenti, amplissima porrigere dignatus es praesidia?

Singulari Tuo in me favori, liberali item beneficio, quorum perennis in corde semper vigebit memoria, respondere qui valeo.

nisi his studiorum meorum primitiis, soli Nomini Tuo sacris? In memoriam itaque gratitudinis et piae venerationis, accipe eas ut ut exiles, rogo, fronte qua soles serena; meque Tua gratia ac benevolentia, quibus summopere devinxisti, et in posterum prosequi non dedigneris. Vale et fave

ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI

Cultori perpetuo
Sigismundo Bělteki.

P R A E F A T I O.

Cum sub cursu studiorum meorum, celebres re-
 gnorum aliorum aquas minerales in medicamento-
 rum serie sapienter propositas, civibus meis in-
 ter similia et efficacia naturae dona viventibus, in
 casu necessitatis, minus commendandas esse vi-
 disse; solidioribus me pro praxi futura salu-
 brium Transylvaniae fontium cognitionibus ar-
 mare adgressus sum. Quare enim miseri a fon-
 te salutifera Borszekensi ad Bilinenses, aut a
 thermis Principis Apafi ad Töplitzenses, proscri-
 bendi sint, rationem non video? Quid aliud hoc,
 in Medico proderet, quam aut densam illius pro-

ductorum Patriae ignorantiam, aut superbam in majori rerum exoticarum aestimatione arrogantiam.

In hunc itaque finem omnia quae huc usque praestare potui, effeci, atque nunc supremæ legis edicto satisfactorius, exhibeo. Primum et gravissimum laboris mei initium erat, reductio mensurae civilis Transylvanicae, sub qualibet Analysisi obviae, ad pondus civile 16 unciarum: ex eâ ratione, ut per eandem tum indigenarum, tum exoticarum formam, comparatio utrarumque facilior sit, pro dignitate cujuslibet aquae dijudicanda. Quamvis Auctores in mensurae civilis Transylvanicae determinatione dissentiant ita, ut alii illam quoad volumen 80', alii 72, alii 69 poll. cub. Viennensibus comparent: tamen non obstante hac differentia (legali digna inquisitione) mihi aquae omnes juxta assumptas Chemicorum mensuras reducendae veniebant; constanter interea in opinione perseverans, ex praenotatis mensuris, illam esse ac-

curatiorem, quae Austriacae 77 .poll. cub. aequanti quam proxime accedit.


Alterum negotium circa aquas soterias Transylvaniae in eo versabatur, ut illas recentioribus temporibus per celebres viros magno et aestimando labore, regulari Analysisi subjectas, principio innixus therapeutico, in ordinem systematico practicum redigere non neglexerim. Medicorum enim est, opus a Chemicis finitum, pro usu practico ulterius investigare, et ad scopum elaborare requisitum. Accidit enim quod non omnes Chemicus simul Medici sint, et vice versa; nec porro omnes Medici, etiamsi Chemicus essent, singulos resolvere fontes, simul et disponere possunt aut valent.

Quod denique juvenis adhuc Medicus regulas de usu aquarum medicatarum proponere ausus sim, non alia erat causa, quam major opusculi integritatis respectus, sine quibus susceptum huncce laborem, summopere mancum esse exi-

stimavi. Ex praestantiorum Medicorum observa-
tis collegi illas, et ordinavi, ut viam et hoc mo-
do mihi ipsi praeparem, pro Civium salute.

In reliquis primum hocce, tentamen a lecto-
rum favore benigno prosecuturum fore, sperat;

Auctor.



INTRODUCTIO.

§. 1.

Aqua sive sit elementum iterum simplex ac ante, sive compositum ex oxigenio et hydrogenio, perfecte pura e naturae sinu non habetur; sed diversis substantiis in diverso gradu mixta, unde ejus color, odor, sapor, et virtus vario modo modificatur.

§. 2.

Inter innumeros mixtionis gradus, a simplicissimo ad compositissimum usque, sensibus externis duo percipiuntur characteres notabiles, totidem aquarum naturalium classes denotantes: vel enim aqua particulis alienis tam exigue est impraegnata, ut nec colore, nec odore, nec sapore polleat, nec viribus suis, nisi temperatura, organismum sensibiliter mutet; vel vero particulas alienas in tanto gradu admixtas habet, ut per illas qualitates aquae tam externae, quam internae notabiliter mutantur, atque in sensus incurrant. In priori casu vocantur **Aquae molles**, in altero **Aquae durae**.

§. 3.

Aquae molles, varietates habent plurimas, uti pluviales, nivales, fontanas et lacustres. Inter omnes, pluviales et nivales puritate praestant. Fontanae puriores sunt eae, quae ex monte siliceo, aut fundo arenoso scaturiunt. Fluviales, pro varia, qua fluunt celeritate, et pro soli, quod perfluunt diversitate, differunt.

Praestant, quae per saxa, aut arenam, sub umbra rapide feruntur. Lacuum aquae omnium infimae, partes vegetabiles et animales, partim putrescentes vehentes, nec non resolutioni propriae subjectae.

Aquae molles quo limpidiores, quo magis odoris et saporis expertes, quo citius saponem et sales solvunt, quo minus lixiva liquida, aut nitrica argenti solutione turbantur, eo puriores, et meliores sunt pro usu communi.

§. 4.

Aquae durae, etiam minerales dictae, quarum qualitates a particulis alienis, salinis, terreis, metallicis, sulphureis, vegetabilibus et ceteris peculiariter modificatae sunt, diversas simili modo agnoscunt varietates; e quibus illae, quae ad sanationem diversorum morborum adhibentur **Aquae medicatae**, vel **soteriae** vocari solent.

§. 5.

Aquae medicatae providae naturae progenies sunt, quae e terrae sinu ubique locorum

copia ingenti scaturiunt, et naturales audiunt. Ad justam distinctionem ab illis, quas ars chemica, naturales imitando, per synthesin, seu directam partium compositionem suppeditat, et quae ideo artificiales nominantur.

§. 6.

Naturales Magni Principatus Transylvaniae aquas medicatas, ordine quodam systematico proponere moliens, a re non alienum fore mihi visum est, generales primo de aquis medicatis praemittere notiones, Medico tironi summe necessarias. Unde totum opusculum in duas secedit partes, quarum altera generalia, altera specialia enucleabit.

§. 7.

In parte generali agetur de qualitatibus aquarum medicatarum sensibilibus, partibus earum constitutivis, natura, agendi ratione, morborum formis, usu, et divisione.

§. 8.

Pars specialis ipsas aquas soterias Transylvaniae comprehendens, cujuslibet aquae nomen, locum scaturiginis, qualitates sensibiles, partes contentas, vires, morborum formas, et hinc inde dosim cum forma exhibebit.

P A R S P R I M A .

G E N E R A L I A .

D E F O N T I B U S S O T E R I I S .

C A P U T I .

De qualitatibus aquarum medicatarum sensibilibus.

§. 9.

Quae ad aquarum mineralium qualitates externas pertinent, sunt: Odor, color, temperatura, sapor, sedimentum, et pondus specificum.

§. 10.

Odor in plurimis aquis mineralibus se jam a longinquo manifestat; ita ut sit vel sulphureus vel bituminosus, vel suffocans, vel ovis putridis vel accenso pulveri pyrio similis, vel subtilis, penetrans, vel gravis et peculiaris, vel gratus, aut ingratus.

§. 11.

Color in diversis aquis diversus dependet a quantitate et qualitate partium in aqua contentarum; in plurimis nullus, quo in casu vel peluciditas crystallina, vel minor illius gradus in conspectum venit. In aliis autem mox turbidus, sordide flavus vel flavescens, mox lactescens vel opalescens, mox caeruleus, rubicundus, viridis etc. apparet.

§. 12.

Temperaturam communiter aquae minerales eandem habere solent, quam terra, ubi perfluunt. Varia est sub hac ratione fontium temperatura, cujus exacta determinatio, et cognitio Medico practico indifferens esse minime potest. Aquae minerales quoad temperaturam etiam id peculiarè habent, ut temperatura sua et infra gradum congelationis naturalis descendant, quin congelantur. Talis est Bramstetiana in Ducatu Holsteinensi, et aliae. Aliae e contra ad tantum caloris gradum ascendunt, ut sine periculo organismo applicari non possint. Exemplum praebent thermae Carolinae in Bohoemia, 59 gradum thermometri Reaumuriani attingentes. In Transylvania solae thermae Alsó-Vátzenses sunt, quae 26° R. ascendunt. Ut ergo iusta habeatur temperaturae idea, priusquam aquae in usum traherentur, illas thermometro bono explorare omnino necessarium est.

§. 13.

Sapor aquarum medicatarum est vel gratus vel ingratus, amarus vel salsus, acidus, morsicans vel pungens, alcalinus, dulcescens, austerrus, vel ex austero - dulce adstringens, stipticus, vel atramentosus.

§. 14.

Sedimentum, quod in fontium plurimorum fundo et alveo conspicitur, pro diversitate partium

in aqua contentarum vel album, vel flavicans, vel ochraceum, vel incrustans esse solet.

§. 15.

Pondus specificum determinat relationem, quae inter aquam destillatam et mineralem existit quoad volumina. Praeviam itaque nobis exhibet notionem de quantitate partium in aqua contentarum.

CAPUT II.

De partibus aquarum mineralium constitutivis.

§. 16.

Partes aquarum mineralium Analysis chemica detectae vel volatiles sunt vel fixae.

Ad volatiles saepissime in aquis occurrentes referuntur: Gas carbonicum, acidum proprii generis, sub variis nominibus notum. Abunde in pluribus aquis provenit, quas sapore grate acido, subvino, vi penetrante, et sedante instruit. Est menstruum substantiarum plurimarum, in quarum connubio etiam provenit. Gas hydrogenium sulphuratum, acidum hydrothionicum a recentioribus dictum, in aquis sulphureis proveniens, odore sulphureo, vel ovo putrido, aut pulveri pyrio accenso non absimili. Aer etiam communis, ad volatiles partes spectat, oxigenio illo, quem inspiramus gravior, nondum satis huc usque a chemimicis consideratus. Rarius

occurrunt in aquis mineralibus Gas oxygenium, Gas hydrogenium carbonatum, et Azotum.

§. 17.

Fixae partes sunt: aqua ipsa pura in stricto sensu considerata, qua vehiculum aliarum partium, sales, terrae, metalla, et substantiae inflammabiles.

§. 18.

Aqua plures species gasorum et quidem in notabili quantitate in se recipit, proprietates inde acquirens acidas, et facultatem terras diversas et metalla solvendi. Est menstruum naturale salium, et materiarum mucosarum. Vis haec aquae solvens erga diversas materias est causa, cur illa in natura nunquam pura occurrat.

§. 19.

Ad salinas partes pertinent: Natrum carbonicum, sulphuricum et muriaticum quam saepissime; Lixiva nitrica et muriatica, sed rarius.

§. 20.

Ex terris, Calcarea carbonica et muriatica est aquarum frequens incola, non ita sulphurica et hydrothionica. Porro Magnesia carbonica, sulphurica et muriatica. Argilla seu Alumina carbonica (sub certo respectu) et muriatica, sed raro. Baryta sulphurica adhuc rarius. Terra silicea saepissime.

§. 21.

Metalla aquas inhabitantia sunt: Ferrum carbonicum saepius, sulphuricum et muriaticum infrequenter; Manganium carbonicum rarissime.

§. 22.

Ex substantiis inflammabilibus Sulphur saepius, sulphureta salina et terrestria rarius; Materia extractiva persaepe in aquis occurrit.

C A P U T III.

De aquarum medicatarum natura.

§. 23.

Aquae minerales medicatae illae tantum vocari possunt, quae in organismum, in determinato statu morbozo pertinaci constitutum, ita agunt, ut sanitatis restitutionem stupendo fere modo promoveant. Aquae minerales quae hoc non praestant, medicatarum nomine non sunt dignae.

§. 24.

Ex hac definitione elucet ratio, qua aquae minerales virtutem suam exerunt medicatricem super omnia medicamenta maximam. Adhibentur enim in statu morbozo, ubi remedia artis non sufficiunt. Aeger miserandus, postquam pharmaco-poei mixturas omnes absque levamine ingessisset,

in deplorato rerum suarum statu confugit ad fontes naturae salubres, tanquam ad ancoram sanctam, et vitam haurit inde novam.

§. 25.

Natura leges et principia Mortalium chemica respiciens, in immenso suo laboratorio componit medicamenta tam simplicia, quam composita nulla arte imitanda. Sunt aquae minerales simplices, quarum actio cum partibus earundem constitutivis valde exiguis, in nulla proportione est. Quaedam majorem habent famam, quam revera merentur, et e contra aliae majori, ac nunc sunt, aestimatione dignae. Natura dico componit medicamenta etiam composita virtutis oppositae, quae ars in plurimis casibus vetat. Componit factores processus dynamici omnes, et principia diversa, quae per Chemici operationes se invicem praecipitant. Quam maxime hoc in aquis mineralibus et praecipue in martialibus videre licet: unde non mirum si producta emergant virtutis magnae et singularis, quorum locum simplex nullum explebit remedium. Quid aliud haec nos docent, quam naturam aquarum mineralium propriam summopere stupendam?

§. 26.

Ast quamvis per magna sit aquarum mineralium virtus, non tamen illam unice in earum natura fundatam esse censeo. Requiritur praeterea certa ratio inter illas et organismum aegrum.

Quaelibet enim substantia eatenus tantum medicamentum esse potest, quatenus in determinata ad determinatum statum morbosum relatione est. Morbi omnes definitam requirunt inter organismum vivum et res externas relationem, ut sanitas reducatur.

§. 27.

Hinc tantum abest ut mira aquarum medicatarum vis absoluta sit, ut potius illa aliorum medicamentorum instar semper relativa, et sub certa rerum positione conspicua.

C A P U T IV.

De actione aquarum mineralium.

§. 28.

Magna et multiplex est ratio, qua aquae minerales medicatae in organismum agunt, non solum partibus suis constitutivis, sed etiam temperatura: unde necesse est, ut in earum actionibus dijudicandis utrarumque ratio habeatur.

§. 29.

Ut actio aquarum mineralium quoad temperaturam eo melius perspiciatur, gradus temperaturae diversi, spatium, in quo applicatur, et ipsius organismi constitutio, probe distinguenda sunt.

§. 30.

Frigida aqua, cujus temperatura ab illa organismi vivi multo inferior est, (et thermometro a 0, ad 12° Reaum. aestimatur) agit qua stimulus negativus factorum vitalium summae aliquid subtrahendo. Et quidem quo proprius ad 0, vel punctum congelationis naturalis accedit tanto plus detrahit ex calore animali organi attacti, quem alia organa illico restituere debent. Hinc brevi temporis spatio applicata auget antagonisticè processum vitalem organi non attacti, ut calor in alio organo deperditus, quanto citius restituatur; sicque stimulantem exerit virtutem. Longius vero applicata fervorem vitalem in toto compescit systemate vasorum.

§. 31.

Egelida aqua, qualis in aestate calida in fluviis radiis solis expositis sentitur, a sanguinis humani calore non ita inferior ac frigida, (a 12° ad 23° Reaum.) stimulo simili negativo agit, mitiori tamen quam frigida; unde in pluribus casibus morborum superfluum calorem detrahens, egregie agit, non tantum sedando processus vitalis actionem, sed etiam organismum roborando.

§. 32.

Tepida, in aequali fere tenore cum sanguinis temperatura versans, (a 23° ad 28° Reaum.) notabilem vix stimulum in organismum edere valet; qui igitur non nisi solius aquae vim experitur.

Aqua bonus electrici conductor, hoc et organismo vivo subtrahendo reactionem immodicam compe-
scere, eoque remedii sapientis vim exercere potest.

§. 33.

Calida aqua, quam primum superat illam corporis humani temperaturam, (a 28° ad 30° Reaum.) mutatur illico modus actionis stimuli, et ex stimulo qui ante negativus erat, fit positivus; qui tantum abest ut factorum vitalium summae aliquid detrahat, ut potius ei aliquid addere videatur. Vi sua in systema vasorum agens, proces-
sum dynamicum in sanguine vigentem auget, actionem cordis et arteriarum extollit, sanguinem ad minima usque vasa pellit, mutat in vapores, qui iterum condensati, in forma sudorum prorumpunt.

§. 34.

Fervida aqua, (quae a 30° ad 52° R. ascendit) stimulo positivo fortissimo agit; et quidem eo vehementius, quo magis ad punctum approximat ebullitionis. Materiam organicam destruendo vitae periculum parat, raro in usum trahenda.

§. 35.

Ex his sequitur, quod aquae minerales temperatura sua in organismum agentes, sub certa rerum positione et sub certis circumstantiis nunc ad sedantia, mox ad stimulantia; nunc ad solventia leniora, mox ad caustica; nunc ad roborantia referri possint.

§. 36.

Si vero solam partium constituentium rationem habemus in actione aquarum mineralium, absque temperaturae respectu, quam idealiter tantum ab illis separare valemus, illarum in organismum vivum actionem adhuc magis multifariam esse, ex sequentibus patebit.

§. 37.

Aquae minerales, sicuti reliqua medicamenta, agunt vel dynamice viribus suis internis, vel mechanice mole sua. Dynamice afficiunt organismum vel viribus suis generalibus, utramque processum vitalis speciem mutando; vel specificè in systema aut organon aliquod peculiariter penetrando.

§. 38.

Generalis aquarum mineralium agendi modus vel in incitatione conspicuus est, vel in vegetatione, quam prae alia eminentius mutat.

In incitatione videmus motum organicum esse vividiorum simulac partes aquarum mineralium stimulo suo cum materia organica in conflictum veniunt. Hinc systematis nervosi et vasorum irritatio, hinc functionum naturalium alacritas etc. intelliguntur.

§. 39.

Majorem vero aquarum mineralium vim in vegetationem directam esse video, cujus qualitas eminenter mutatur, ita tamen ut nec quantitas

ejus immutata maneat. Quoad quantitatem itaque vel augent massam organicam, qua nutrientia; vel minuunt, qua purgantia, diuretica et diaphoretica. Inter omnes autem aquarum mineralium actiones, qualitatis in vegetatione mutatio eminentior est. Vel enim productionem organicam, ejusque productum ita mutant, ut materiae organicae cohaesio primario moderetur; vel vero producto organico nisus plasticus et robur addatur majus. Primum praestant partes salinae, alterum ferrum.

§. 40.

Sed et specifica aquarum mineralium actio tribuenda est, qua vel systema aliquod, vel organon peculiariter adficiunt. Sic Gas carbonici vis grate adficiens et restaurans in systema arteriosum, sic salium diversorum in vias urinales, sic sulphuris in cutem actio peculiaris sat superque nota.

§. 41.

Elucet jam ex his, et ex supra allatis, ut opinor, actio aquarum medicatarum in organismum varia et multiplex, quam ut etiam circumstantiae diversae adjuvent, perse patet.

CAPUT V.

De morborum formis, in quibus aquae minerales indicantur, vel contraindicantur.

§. 42.

Diversas morborum formas in quibus aquae minerales juxta plurimorum Medicorum observationes, bonum vel malum praestant effectum, subsequenter enumerare placuit classibus.

F e b r e s.

§. 43.

Ex febrium intermittentium ordine, illi tantum morbi aquarum mineralium usum admittunt, qui cum caractere gastrico et in specie bilioso; cum caractere frigido seu cachectico; vel cum caractere putrido donati sunt. Hinc in febre biliosa, mucosa, amatoria, et verminosa quam saepe adhibentur; rarius in febre putrida. In febribus continuis non adhibentur.

Contraindicantur in orgasmo humorum et in congestionibus febrem inflammatoriam producentibus.

C a c h e x i a e.

§. 44.

In hac classe, magnae cohortes morborum occurrunt, salutiferam aquarum actionem avidè expectantes, uti: tabes ab humorum nobilium jaetura, atrophia nervosa, phtisis pituitosa, nervosa, et

renalis, physconiarum species variae, rachitis, scrophula, chlorosis, leucophlegmatia, icterus ab obstructione hepatis a calculis, scorbutus, herpes, scabies etc.

Nocent in phtisi ulcerosa, et in hydrope. In hoc tamen casu si aquae evacuatae sunt, et laxitas perstat, aquae martiales adhiberi possunt.

N e v r o s e s.

§. 45.

Indicantur in hac classe in sequentibus morborum formis: in hypochondriasi, melancholia, anorexia, dyspepsia, sterilitate, anaphrodisia, paralyti, paraesi, asthenia, in rheumatismo et arthritide chronica, in hysteria, asthmate pituitoso, et aliis spasmorum speciebus.

Contraindicantur in debilitate summa.

E c r i s e s.

§. 46.

Quae in hac classe, sub profluviorum et retentionum ordinè proveniunt morborum formae, et aquarum mineralium usum desiderant, sunt: salivatio mercurialis, catarrhus chronicus, blenorhoea chronica, fluor albus, haemoptoë, haemorrhoides, amenorrhoea, et dysenteria.

Non juvant in haemorrhagiis validis, diu durantibus, in fluxu menstruorum praesenti, et in sudoribus colliquativis.

M o r b i l o c a l e s.

§. 47.

Aquae minerales in ophthalmia chronica, tumoribus variis a passiva humorum congestione natis, in contracturis, obstipationibus, lithiasi, et morbis cutaneis quam plurimis saepe indicantur.

Prohibentur vero in visceribus crosis, sanguinis et aliorum humorum extravasationes post se trahentibus.

C A P U T VI.

De usu aquarum mineralium.

§. 48.

Ut salutifera sit aquarum mineralium, quas benigna nobis natura suppeditat, virtus, sub earum usu tam interno, quam externo cautelae requiruntur summe necessariae. Huc pertinent: electio aquae medicatae, praeparatio corporis, tempus curae, locus, temperatura aquae, miscela, dosis et ordo, mutationes ex cura profluentes, regimen diaeteticum, et duratio curae.

E l e c t i o a q u a e.

§. 49.

In omni morbo rebeli aliis medicamentis frustra oppugnato, si ad usum aquarum mineralium confugiendum sit, tales semper eligendae sunt aquae, quarum partes constitutivae, et earum temperatura praesentis morbi indole optime conveniunt. Indicatio igitur debet esse determinata.

Sub tali rerum statu, virtus aquarum medicatarum eo efficacior semper speranda, quo saepius experientia illam confirmatam nobis exhibuit.

P r a e p a r a t i o.

§. 50.

Sunt aegri, qui absque ulla praeparatione aquis mineralibus uti possunt, variis scilicet vicissitudinibus adsecti; et sunt iterum alii, qui nec aquam, nec vitae genus mutandum perferre possunt, uti homines delicati, et valde crethici. Hi antequam iter susciperent, in quantum possibile est, diaetae futurae, et aliis circumstantiis paulatim advescere tentent: nam cita mutatio vitae generis saepe plus mali adfert, quam morbus ipse curandus.

§. 51.

Alius praeparandi modus is est, qui saburram praesentem pituitosam, tenacem eliminare, obstructions quasdam praevie solvere studet, ut libera sit futura aquae mineralis actio. Hoc praestant eccoprotica diversa, et clysmata emolientia mox ante curam applicanda. Quandoque et aliae indicationes se obtrudere solent, quibus congruentibus occurrendum est remediis.

§. 52.

Etiam quoad usum externum aquarum mineralium praeparatio nonnunquam requiritur. Balneis utendum artificialibus, illis mox in usum

trahendis tam quoad partes constitutivas, quam quoad temperaturam analogis. Ante balneum sive sit illud artificiale, sive naturale jentaculum tenue sumendum, vel si alvus ordinata non praecessit eccoproticum, et impuritates ventriculi amovendae sunt.

§. 53.

Ad praeparationem pertinet etiam provisio requisitorum; quo vestimenta pro aëris vicissitudinibus diversa, linteamina sufficientia, et libri delectantes referendi sunt.

Post longum iter, cura non statim incipienda, sed quies per aliquot dies corpori concedenda.

T e m p u s .

§. 54.

Ut ut aquae minerales cum circumspectione in quolibet anni tempore adhiberi possint; earum tamen usus tam internus, quam externus, aestatis tempore magis conveniens, et proficiuus est; tum ob amoenitatem salubrem, tum verò ob circumstantias morbi curationi melius faventes.

§. 55.

Magis criticum est diei tempus, in quo aquae cura interna suscipienda debeat. Alii suadent horas matutinas, oriente sole, uti horam 5 v. 6. — alii serius 7 v. 8. alii 8 v. 9. Si vero consuetudinem, constitutionem corporis, et aëris matutini

temperaturam consideremus, apparebit illico certas hic dari regulas non posse.

§. 56.

Quid quaeso boni ab irrito eorum conatu expectari potest, qui contra omnem consuetudinem summo mane ad fontem properantes, aqua gelida ventriculum expandunt jejunum? Non mirum si tali modo ventriculus pro toto debilitatur die, et continui ructus molestantes, evolutorumque in intestinis flatuum oclusio, illos lacerant miserandos. Non mirum si horripilatio, cutis sicca anserina eorum, qui solito citius surgentes, ad fontem lavant ventriculum suum per totum mane, sicuti coriarius in aqua corium. Quomodo constitutio corporis tenera aquam etiam egelidam majori quidquam copia adsumtam, sub frigida aëris matutini temperatura ferre potest?

§. 57.

Ego monitu^o cel. *Schultes* ductus, illud diei tempus lesse optimum quod naturalissimum est, certo convictus sum. Tempore videlicet solito surgere, jentaculum consuetum sumere, illo digesto fonti appropinquare, et modo supra dicto cum cura procedere.

§. 58.

Sunt qui integram dosim mane ad fontem bibunt, et post meridiem nihil. Sunt qui aquam divisim portionibus adsumunt, et ante et post

meridiem. Ante meridiem et mane ad fontem doses speciales plurimas, dein mox ante prandium, ex aqua vitris bene obturatis ad hospitium transportata, unum alterumve poculum; vesperi circa horam 5, simili modo, et ante lectum iterum unum ebibunt poculum.

(§. 59.

Illi, qui solo balneo utuntur eligant horam antemeridianam mox post jentaculum digestum aptissimam. Hoc valet etiam de horis pomeridianis, in quibus post peractam digestionem balnea applicari possunt. Combinatio curae internae cum externa, easdem requirit cautelas, nisi quod tempus balneationis antemeridiana inter poculationem matutinam et prandium incidat.

Tempus balnei singuli ab initio hora dimidia, dein ulterius, nec ultra duas horas extendendum.

L o c u s.

§. 60.

§. 60.

Aquae minerales plurimae aliter agunt ad fontes ipsos, et aliter in locis dissitis. Quaedam ad magnam distantiam transportatae movent alvum, quod non faciunt ad fontes eadem dosi adhibitae. Hinc etiam loci consideratio respectum meretur.

§. 61.

Ad fontem omnino cura melius atque salubrius succedit; tum quod partes aquae volatiles

per transportationem non sint amissae, et fixae non decompositae, tum quod circumstantiae aegri mutantur, eoque cura facilitetur. Haec duo momenta efficiunt, ut cura ad fontem brevior sit, ac domi.

Quae autem domi suscipitur cura, non semper tam felici coronatur effectu, quam ad fontes. Non enim omnes aquae sinunt se transportari absque partium constitutarum mutatione et virium amissione. Interim dantur et tales aquae, quae debito modo haustae, bene obturatae et caute transportatae parumper mutantur. Hae in casu necessitatis in usum trahi possunt.

§. 62.

Aquae vero pro balneis destinatae ad longa itinera transportatio nihil valet; illius usus ergo absolute debet esse ad fontem, et ibi quoque si circumstantiae permittant non in proprio hospitio et cubili, sed in ipso fonte balneatorio commoditatibus requisitis instructo, influxu et effluxu libero proviso.

T e m p e r a t u r a.

§. 63.

Uti jam supra dictum est, aquae minerales agunt in organismum non solum partibus suis constitutivis, sed etiam temperatura: sequitur inde ut sub earum usu, etiam temperaturae juxta calorem individui aegri, justa sit determinatio.

§. 64.

Frigida aqua conducit illis, qui bonum ventriculum, temperamentum calidum, et venas habent magnas, qui mensae lautae, et vino adsucti sunt, vel hypochondria ab obstructione viscerum laborant. Male adficit in genere homines delictos, ventriculo debili et sensibili instructos, subjecta spasmodica aut erethica, et illos quorum pedes continuo frigent; non juvat porro in pollutionibus, fluore albo, indurationibus pulmonum et hepatis.

Egelida irritabilibus magis salutaris, quamquam et tales dentur homines, qui nec hanc perferre possunt aquam.

§. 65.

Tepida spasmodicis et irritabilibus convenit; hinc si temperatura indicationi resisteret, aqua ad teporem debitum calefacienda est, immergendo scilicet vitrum recenti aqua plenum et obturatum in aquam fervidam, caute tamen et cum circumspectione, ne vitrum dirumpatur.

Calida aqua, qualem natura fert, in obstructionibus viscerum abdominalium et malis inde oriundis multo efficacius agit quam frigida. In affectionibus vero internis a nervorum debilitate natis, vel in viscerum laesionibus organicis nocere solet.

§. 66.

Balnea sive sint naturalia sive artificialia ther-

mometro prius exploranda et determinanda sunt. Aëgris, qui naturalem balnei temperaturam non ferunt, balnea artificialia prius tepida, dein serius calidiora adhibenda.

M i s c e l a.

§. 67.

Aquae minerales bibuntur vel solae, vel pro scopo indicationis diverso, cum lacte, aut vino permixtae. In qualibet autem miscela, quantitas atque qualitas partium ingredientium, justam metetur considerationem.

§. 68.

Lacte misceri solent aquae principio forti alcalino provisae, uti sunt ex exoticis: Pyrmon-tana, Egerana, Spaana, Selterana, thermae Carolinae, et aliae: ex indigenis Transylvaniae Boddolensis, Borszekensis, Szentgyörgyensis, Dombhatensis, Kéméndensis etc. Hac ratione actio principiorum efficacium temperatur, lac dilutum vasa minima magis penetrat, humores spissos diluit, resolvit, et nutrit. Aquae hoc modo mixtae adhibentur in tabe, arthritide, rheumatismo, scorbuto, in dysenteria, in affectionibus spasmodicis hypochondriacis, crethismo, hysteria etc.

§. 69.

Lactis qualitatem si respicias, recenter emulctum et adhuc tepidum optimum, si hoc deficiat,

aliud quodcumque sive asininum sive vaccinum modice calefactum.

Quantitates vero lactis et aquae mineralis ab indicatione dependet; quo respectu mox tres partes aquae ad unam lactis, mox duae, mox aequales sumi debent, portiones.

Potui spirituoso adsueti ab initio curae per octo circiter dies aquam solam debent bibere, et ita tandem cum lacte; si nec tunc ferre possunt penitus seponere lac, et solam bibere aquam.

§. 70.

Cum vino miscetur acidula et bibitur in affectionibus catarrhalibus habitualibus, in tussi humida, in morbis pituitosis etc. — conducit porro etiam torpidis, atque temperamento frigido donatis, in quantitate iterum diversa.

§. 71.

Pro balneo si acidula adhibetur, sufficienti aquae fervidae communis quantitate, vel recrementis ferreis candentibus acidula ipsa, ad justum caloris gradum temperatur.

Dosis, ordo et modus

§. 72.

Dosis aquarum mineralium pro organisni receptivitate, et aquae mineralis vi, varia esse solet. Sunt medici qui pro speciali dosi 5 — 6 Uncias

aquae adsumentes, junioribus per diem 2 — 3, adultis 3 — 4 libras ordinant. Sunt iterum alii qui dosim tam specialem quam generalem multo majorem praescribunt, vel ante meridiem, vel divisis portionibus et ante et post meridiem, sumendam. Prudens medicus momenta medicamentorum dosim determinantia probe considerans, non plures ordinat doses, quam quae ab aegro absque molestia perferri possunt. Si ab uno poculo adsumto ventriculus oppletur et expanditur, alterum non prius sumendum jubet quam sensatio illa ventriculi molesta penitus disparuerit.

§. 73.

Ut vero incommoda evitentur omnia, necesse est aquam tardius, parciore dosi, et longiori temporis intervallo bibere. Sic cura ad indeterminatum usque poculorum numerum continuari potest. Etiam hoc peridem esse videtur, sive post peractam digestionem bibatur aqua, sive non, tantum ut ventriculus inde ne afficiatur: quod vero omni diei tempore accidere potest nimia quantitate adsumta, mane praecipue ventriculo jejuno et ad mensam.

§. 74.

Balnei quoque dosis varia esse potest, sed magis determinata, prouti vel partiale applicatur balneum, ad genua, vel umbilicum, vel universale ad collum usque. In balneo universali calido, vel tegitur caput, vel non, vel juxta circumstantias

specialiter tractatur. Cacterum, reliquum corpus nudum esse oportet.

Mutationes ex cura profluentes.

§. 75.

Phœnomena, aquarum mineralium applicationem insequentia vel sana sunt, vel morbosa; illa ex sensu levaminis mox post curam cognoscuntur, hæc vero ex mutationibus morborum curæ supervenientibus. Medicus ergo animo sit attento, an effectus ab actione aquarum producantur desiderati?

§. 76.

Quousque aqua bene agit, et nullæ mutationes morbosæ apparent, cœusque medicamenta alia necessaria non sunt. Quamprimum vero mutationes in organismo morbosæ comparent, illis remediis aptis occurrendum est. In his casibus aeger Medici consilio ad fontem præsentis uti oportet; qui ita semper ordinare debet remedia, quæ cum aqua non decompouuntur minerali.

§. 77.

Quidam aegri post aliquot balnea sentiunt in diversis partibus corporis titillationem, quæ balnei actionis indicium est; mox etiam exanthemata in cute prorumpunt, quæ nec vi extorqueri, nec temere supprimi debent. Refrigerium sub egressu e balneo sollicite vitandum.

Si vero in balneo sensatio ingrata, debilitas, vel lassitudo magna, anxietas aut ructus etc. superveniant, usus balnei seponendus.

Regimen diaeteticum.

§. 78.

Pauci sunt aegri, qui curae sub statu morhoso convenientem servarent diaetam. Nec mirum: ignorant enim plurimi accuratam regiminis diaetetici observationem tantum efficere, ac ipsum medicamentum. Potentes vivunt ut volunt, curantur ut jubent, et moriuntur ut debent. Pauperes et plebeji fugiunt medicos sicuti diabolus crucem. Si igitur pro sanitate omnia consecrari possint bona — quare non praecepto medico obedientia? — In animi moderamine, aëre, victu, potu, motu, somno et quiete consistit justa regiminis observatio, quae omnia fusius in sequentibus explicabuntur.

§. 79.

A n i m i m o d e r a m e n. Nimia animi tensio, cogitationes profundae variae, et in specie de status praesentis eventu, vel nocent vel retardant curam susceptam; ita et animi affectus ingrati, tristitia, timor, ira, iracundia etc. Optimum remedium pro his omnibus, conversatio amocna, et obambulatio. Ante et sub balneo affectus animi ingrati praecipue vitandi.

§. 80.

Aëris constitutio. In omni loco ubi aeger versatur aër sit temperatus, purus, non humidus, non frigidus. Si tempestas nebulosa, frigida aut humida comparet, aquae usum vel seponere, vel in cubili temperato illius usum facere. Caeterum temperaturae frigidiusculae aptis vestimentis occurrendum, refrigerium totius corporis, sed praecipue pedum circa fontem sollicite vitandum.

Quam maxime autem cura gerenda, uti jam monuimus, ut refrigerium et aëris vicissitudines post balnei usum evitentur.

§. 81.

Victus sit selectus quoad qualitatem et moderatus quoad quantitatem. Selectus nominatur ille, qui simplex et tamen nutriens est; huc pertinent, carnes bubulae, vitulinae, avium, (anserum et anatum carnibus exceptis) tum carnes ferinae, pisces etc. porro, ova, et farinacea levia. Omnia pingvia, uti lac pingve, butyrum, caseus, lardum; legumina, farinacea et oleracea omnis generis, quae flatus causant et digestu difficilia sunt, exulare debent a mensa ad fontem hospitantis.

Jentaculum sive ante, sive post poculationem fiat, uti jam dictum est, debet esse semper moderatum. Tempus prandii est indeterminatum, et quaquam hora id fiat, ab appetitu per aquae usum ut plurimum aucto, nunquam sedveatur ac-

ger ad oppletionem ventriculi. Caena quoque sit parca digestu facilis et nutriens.

§. 82.

Ante meridiem qui balneo utuntur semper consuetum sed moderatum sumant jentaculum, et illo mox digesto balneum ingrediantur, in quo aliquid edere et modestia vetat. Post prandium atque caenam statim in balneum fugere non licet, sed digestio ut absolvetur, exspectanda. Caeterum et balneantibus de victu regula supra proposita servanda.

§. 83.

Potus etiam quantitas et qualitas probe respicienda est. Quantitas potus sit illa, quam aurea jubet mediocritas; quoad qualitatem vero, consuetudini, in quantum fieri potest, indulgendum. Ad sitim compescendam adhibetur cerevisia bene fermentata; vinum aqua vel acidula dilutum, minime vero acidum, aut sulphureum. Illis, qui acido primarum viarum laborant, vina hungarica, vel alia dulcia bene conducunt. Potatio in balneis evitari debet.

§. 84.

Motus tum activi, tum passivi sub cura, praecipue sub poculationibus ita necessarii sunt, ut cura sine illis raro feliciter succedat. Idcirco omnibus illis aegris, qui cubare debent, fontes soterii non tam bene conducunt, quam iis qui

motus exercent moderatos. Hinc commotio moderata post quemlibet haustum, et praecipue post poculationem antemeridianam, obambulatio, vectio in rheda, equitatio etc. in locis non frigidis, nec calidis, sed temperatis, et restaurantibus, necessarie requiritur. Sunt qui ardente syrio, ut actio aquarum mineralium promoveatur, validos exercent motus, et sic sudore profluentes frigidam hauriunt aquam; tales incauti multo plus damni sibi inferunt et nocent, quam alii tarditate et ignavia sua.

§. 85.

Ante balneum commotiones magnae et excalesfactiones vitandae; motus in balneo si possibiles sint, sermocinationes, vel declamationes, ita et frictiones corporis cum panno, praecipue in paralyticis et contractis, multum juvant. Post balneum statim quies in lecto tepido per dimidiam horam quaerenda, dein, si vires permittant, commotio moderata non negligenda.

§. 86.

Exercitium Veneris immodicum in cura tam externa, quam interna summiopere vitandum.

§. 87.

Quies et somnus. Omnis cura, et poculatio quaelibet corpore quieto incipienda est, ita et post quemlibet haustum quies per aliquot minuta corpori concedenda, et tum tandem commo-

tio suscipienda. Somnus mox post jentaculum, poculationem vel prandium nocere solet. Post caenam moderatam vero non multum vigillare, sed mature lectum petere; atque organismo salutarem, quem usus aquarum praestare nititur effectum, non eripere. Locus quieti destinatus sit placidus; fenestrae per noctem clausae. In balneo somnus arcendus.

Duratio curae.

§. 88.

Sub accurata regularum nunc praescriptarum observatione, intra aliquot septimanas felicem curae eventum sperare licet. Quousque autem cura durat, id praevie et accurate determinari non potest: quia ipsius morbi decursus, et duratio curae, ab ipsa praecipuis morbi indole, et in quibusdam casibus etiam a nervo rerum gerendarum dependet. Interim tamen pro cura integra 4 — 6 — 7 — vel 8 septimanae adsumi possunt. In hoc temporis spatio cura eousque continuanda est, donec aeger levamen et notabile morbi decrementum sentiat; atque non prius seponenda, quam nausea aut debilitas corporis inde percipiatur. Finitur tum cura balneo, ex acidula cum fervida aqua communi temperata, facto; et tandem eccoprotico.

§. 89.

Ut ut curae etiam balneatoriae duratio a mor-

bi natura plurimum dependeat, eam tamen 70 vel 100 circiter horis absolvi, Auctores contendunt.

C A P U T VII.

De Divisione aquarum mineralium.

§. 90.

Sicuti medicamentorum omnium, ita et aquarum mineralium divisionem therapeuticam omnibus aliis praestantiorē, et medico tironi utilissimam esse, nihil dubito. Ast cum eae omnes, in multifaria ad organismum aegrum relatione sint; ita ut nunc ad hanc, nunc ad aliam classem et ordinem referri possint, patet classificationem aquarum mineralium absolute systematicam, ex principiis therapeuticis repetitam, possibilem nunquam esse.

§. 91.

Hoc tamen non obstante, eminentem aquarum mineralium actionem respiciens, commode illas sub titulo *Resolventium* et *Roborantium* pertractari posse arbitror.

§. 92.

Aquae *Resolventes* (seu *salinae*) illae vocari possunt, quae partibus suis salinis et sulphureis materiae organicae indolem plasticam, et cohaesionem nimiam minuunt.

Aquae minerales sub hac classe provenientes pro partium constituentium ratione, vel sub-

phureae sunt, vel non sulphureae; quarum omnium uberiores illustrationem pars specialis exhibebit.

§. 93.

Aquae roborantes (seu *martiales*) sunt, quae praeter principia nunc dicta, etiam ferro instructae, materiae organicae cohaesionem secundario modo augent.

Eandem et hujus classis aquae subdivisionem patiuntur quam resolventes, in sulphureas et non sulphureas dirimendae.

§. 94.

Alii principio chemico ducti, aquas minerales in salinas, martiales, et sulphureas dividunt. Hanc autem classificationem stare non posse, praesto sunt argumenta ex ratione et experientia petita. Ex aquis sulphureis plurimae ferro donatae sunt; hinc juxta leges logicas non ad alias quam martiales referri possunt et debent; reliquae autem aquae sulphureae non martiales separatam classem non merentur. Porro salium plurimorum et aquarum salinarum vim resolventem, ferri et aquarum martialium roborantem, sulphuris et aquarum sulphurearum vim iterum eminenter resolventem quis ignorat? Quomodo ergo principiis therapeuticis convenire potest, ut prima classis aquas resolventes, altera roborantes, et tertia iterum resolventes; vel ambae

classes separatae solventes, et tertia roborantes in se comprehendat?


§. 95.

Nec natura ipsa aquas minerales in plures, quam duas divisit classes: in ferratas videlicet et non ferratas; quae omnes salinae sunt, quia principia salina in omnibus praedominant. Sed quoniam marte quaedam ex illis instruuntur, ideo nomine proprio *martiales*, caeterae vero quae illo carent simpliciter *salinae* vocari solent. Utraeque ex his aquarum generibus vel sulphureae sunt vel non sulphureae. Patet ex his aquas sulphureas non ad separatam classem, sed partim ad salinas, partim ad martiales pertinere debere.

§ 96.

Sed alia hic quaestio nunc resolvenda venit; danturne videlicet aquae martiales sulphureae? Harum aquarum existentia a multis Chemicis in dubium vocatur, dicentes: ferrum cum sulphure in solutione stare non posse, quin ferrum ab acido hydrothionico, seu gas hydrogenio sulphurato praecipitetur. Hoc quidem verum est, atque color ex nigricante turbidus persaepe in his aquis observandus, praecipitationem oxydi ferri probe demonstrat. Quum vero ferrum, sub exclusione aëris externi, a gas hydrogenio sulphurato solvi certum sit, patet illam mutationem a solo aëris externi influxu repetendam esse. In terrae vero sinu, ubi haec actio libera deficit, vel superficia-

liter tantum locum habet, ferrum omnino in aqua per gas hydrogenium sulphuratum solutum manere potest. Eodem modo praecipitatur ferrum etiam in reliquis aquis martialibus, per longiorem aëris influxum, an ideo illarum existentiam negare licet? Si igitur hoc argumentum pro existentia aquarum sulphurearum cum ferro, alicui insuficiens esse videtur, convertat attentionem suam ad partes constitutivas aquarum in analysi a celeberrimis viris propositas, et videbit illico principia, et leges naturae chemicas, ab illis mortaliū esse valde diversas.



P A R S S E C U N D A.

SPECIALIA.

DE AQUIS MEDICATIS TRANSYLVANIAE.

CLASSIS PRIMA.

Aquae minerales Resolventes.

§. 97.

Aquae resolventes, seu salinae praeter Gas carbonicum liberum, etiam Gas hydrogenium sulphuratum; praeter substantias alcalinas et terrestres, uti Sodam, Calcaream, Magnesium, Aluminam, etiam sulphur in se continent. Omnes hae substantiae acidis diversis carbonico, sulphurico, muriatico solutae, sales constituunt diversos mox neutros, mox medios, magno in resolutionem nisu instructos; mox aquas sulphure soluto peculiariter modificatas.

Virtus harum aquarum in secretionis, cui membrana mucoosa per primas vias expansa praest, motus peristaltici, humorum per vasa abdominalia progressus, circulationis integrae, secretionum et excretionum omnium excitatione vividiori, in materiae organicae inertis, tenacis, spissioris solutione, et ipsius tandem systematis nervosi per aërem carbonicum irritatione, conspicua.

Ex his patet, cur aquae minerales salinae sa-

luberrimos saepe praestent effectus in tot morborum formis, vegetationem praepressis adgredientibus, uti in digestionis languore, abundante mucii tenacis secretionem, vermibus intestinalibus, adfectionibus haemorrhoidalibus, tumoribus glandularum mesentericarum, lienis et hepatis; ictero, hypochondria, melancholia, amenorrhoea, asthma, arthritide, calculis urinalibus, impetiginibus etc.

Dividuntur aquae minerales salinae uti jam supra vidimus, in sulphureas et non sulphureas.

A. Salinae non sulphureae.

§. 98.

Ad hunc ordinem aquarum salinarum referuntur omnes illae aquae, quarum compositionem sales amari, alcalini, et muriatici ingrediuntur. Hinc genera tria hujus ordinis exsurgunt, ut pote: aquae amarae, alcalinae et muriaticae.

1) *A m a r a e.*

§. 99.

Praecipua harum aquarum pars est sal amarus, unde sapore proprio, ab aliis facile distinguuntur. Continent praeterea adhuc sales alios plus minus amaros, uti natrum sulphuricum, muriaticum calcis et magnesiae.

Virtus harum aquarum resolvens, organismum non profunde penetrans alvum facile movens. Huc pertinet:

AQUA ÖLVESENSIS.

In territorio pagi Ölves, Comitatus Kolos sca-
turiens; sat clara, coloris et odoris nullius, sa-
poris vero proprii. Partes ejus contentae in una
libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici quantitas indeterminata.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	1 21/25	Grana.
Magnesiae carbonicae	3 1/25	—
Magnesiae sulphuricae	112 19/50	—
Natri muriatici	1 77/100	—
Aluminae	13/20	—
Materiae extract.	43/100	—

AQUA RIS - CZEGENSIS.

Itidem in Comitatu Kolos, in medietulliq fore
regionis sic dictae campestris (*Mészöreg*) colore
flavicante, odore nullo, sapore amaro salso. Partes
contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 2 31/50 pol. cub.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	1 31/100	Grana.
Magnesiae carbonicae	2 9/50	—
Magnesiae sulphuricae	26 13/100	—
Natri sulphurici	115 11/25	—
Natri muriatici	11 4/5	—
Aluminae	87/100	—
Mater. extract.	87/100	—

Vires harum aquarum dosi parciore adsumtarum resolventes, diluentes, atque diuresim promoventes; majori vero dosi alvum moventes. Adhibentur in morbis primarum viarum praecipue mucosis, nausea, vomitu habituali, appetitu dejecto, viscerum praecipue hepatis et lienis obstructionibus, febribusque intermittentibus ex eadem causa ortis, congestionibus item et obstipationibus, haemorrhoidibus caccis et mucosis.

Analogiam habent ambae hae aquae cum amaris Bohemiae aquis, Saydschützensi, Sedlitzensi, atque Steinensi.

— — — 2) *Alcalinae.*

§. 100.

Eminent in his aquis sales nentri diversi, et in specie Natrum cum variis acidis carbonico, sulphurico et mariatico junctum. Aër etiam carbonicus praesto est, nunc in majori nunc in minori quantitate; praeterea sales alii terrestres, quantitate ut ut minori.

Virtus harum aquarum efficacissime resolvens, organismum profundius penetrans, alvum non tam facile movens, vasis sanguiferis, et nervis simul stimulum addens; hominibus ad organum, congestiones, haemorrhagias dispositis minus convenit. Huc pertinent:

— — — AQUA STOJKENSIS.

in circulo Magyar Laposensi Comitatus Szol-

nok Interioris scaturicens, minus clara, odor praeter acidularem nullus, sapor sat grater acidus. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 45 14/25 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	4 57/100 Gr.
Magnesia carbonicae	6 1/4 —
Natri muriatici	10 71/100 —
Natri sulphurici	21 1/5 —
Natri carbonici	7 21/25 —
Aluminae	1 37/50 —
Silicae	87/100 —
Mater. extract.	43/100 —

Vires diluentes, penetrantes, potenter resolventes, nec non antacidae, diureticae, antisepticae et anthelminticae.

Cum fonte laterali Bilinensi in Bohemia analogiam habet.

AQUA VETZELENSIS.

In territorio pagi Vetzels, in Comitatu Hunyad scaturiginem habens; turbida, odoris nullius, saporis aciduli. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 24 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	5 7/25 Gr.
Magnesia carbonicae	1 27/50 —
Natri carbonici	5 7/25 —

Natri sulphurici	1 1/10	Gr.
Natri muratici	22/25	—
Aluminae	11/50	—
Mater. extract.	11/50	—

Virtutem medicatricem hujus aquae experientia nondum comprobavit. Ab incolis autem pro potu ordinario usurpari solet.

Heppingensi in Gallia, atque Obersalzbrunnensi in Silesia apprime comparari potest.

THERMAE AL. GYÓGYENSES.

In territorio Oppidi Al-Gyógy Comitatus Hunyad scaturientes, ad gradum 24° Reaum. calidae; e quatuor thermis hic occurrentibus, salinarum tantum hic mentio erit; quum martiales opportuno magis loco inferius enumerabuntur. Aquae hae thermales limpidissimae, odoris et coloris nullius, saporis vero subaciduli. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 15 17/20 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	3 2/25	Gr.
Magnesiae carbonicae	3 13/25	—
Natri carbonici	7 12/25	—
Natri muriatici	22/25	—
Silicae	33/50	—

Vires harum thermarum in cutem egregie agentes, poros organicos aperiundo diaphoresim debite promouent, circulationem humorum len-

tam vivide sollicitant, eorumque spissitudinem diluunt, fibras rigidas emolliunt, stases in organis resolvunt. Hinc in impetiginibus chronicis, herpete, scabie, in obstructionibus hepatis, lienis, glandularum mesentericarum, in spasmis, contracturis, rheumatismo etc. praestantissimos producant effectus.

Thermis his celeberrimis et multum frequentatis inter exoticas vix pares reperiri possunt, nisi quis eas thermis Emsensibus Germaniae, aut Wolkensteincensibus Saxoniae comparare vellet.

THERMAE KIS-KALÁNENSES.

In Comitatu Hunyad, non procul a pago Kis-Kalán scaturientes. Aqua est clara, coloris et odoris nullius, saporis vero leniter acidi, ob talem nauseosi, temperatura 24° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 10 $\frac{57}{100}$ p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	2 $\frac{33}{100}$ Gr.
Magnesiæ carbonicae	2 $\frac{167}{15}$ —
Natri carbonici	2 $\frac{16}{25}$ —
Natri sulphurici	1 $\frac{59}{100}$ —
Natri muriatici	1 $\frac{1}{10}$ —

Vires. Thermæ hæc in antiquissimis Romanorum temporibus multum frequentatae, nunc fere neglectae jacent. Al. Gyögyensibus non

absimiles, in iisdem morborum formis usurpari possunt. Etiam ad delendas verrucas laudatae.

3) *Muriaticae.*

§. 101.

Partes hujus generis aquarum praedominantes sunt sales muriatici, uti: Natrum muriaticum, Magnesia et Calx muriatica; praeterea continent etiam Natrum sulphuricum et Magnesiam sulphuricam, a Natro carbonico autem sunt liberae. Huc spectat:

AQUA FELSÖ - BAJOMENSIS.

In Sede Medicensi, duobus scaturiens fontibus principalibus, quorum unus *Kirchenbad*, alter *Bettlerbad* nuncupatur. Temperatura aquae 15° Reaum. claritas nulla, sapor acute salsus, pungens, et subamarus. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Vacant.

b) Fixae.

Natri muriatici	415 3/25	Gr.
Magnesiae muriaticae	18 9/25	—
Calcis muriaticae	15 47/100	—
Argillae mechan. immixt.	14 25	—
Mater. extract.	17/50	—

Vires aquae hujus pelagicam referentis, jam a multis seculis celebratae potenter resolventes et stimulantibus sunt. In debilitate nervorum, in

arthritide chronica, in contracturis, serophula, paralysi ab ulceribus consolidatis etc. magnis effe-
runtur laudibus.

Aqua haec parte sua principali quantopere et
Doberanas Ducatus Meklenburgensis, et Pyr-
montanas salinas in Principatu Waldecki-
ano superet, ex utrarumque comparatione sta-
tim elucet.

B. Salinae sulphureae etc.

§. 102.

Ad hunc ordinem spectant omnes illae aquae
minerales, quae praeter sales neutros et terre-
stres Sodam, Calcem, Magnesium, cum acidis car-
bonico, sulphurico et muriatico junctam, etiam
sulphure provisae sunt; quod in hydrogenio so-
lutum, sub Gas hydrogenii forma eructatur, et
aquis his cum vi solvente stimulantem quoque
conciliat, qua membranam mucosam primarum
viarum, organa respirationis, cutem externam et
vasa sanguifera adficiunt, oxydationem simul prae-
valentem et acidorum lominium coërcentes.

Dividuntur haec aquae in terrestres et muria-
ticas.

1) *Terrestres.*

§. 103.

Præcipuae e quibus aquae hujus generis
constituuntur partes, sunt sales medii terrestres;

praeterea et sales quidam neutri, excepto natro carbonico, quod semper deficit. Huc numerantur:

THERMAE ALSÓ-VÁTZENSES.

In territorio pagi Alsó-Vátza, in Comitatu Zaránd scaturientes, ad 25° — $25 \frac{1}{2}^{\circ}$ Thermom. Reaum. calidae; aqua limpida, coloris nullius, odoris sulphurei gravis, saporis mollis et nauseosi. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas hydrogenii sulphurati . . . 14 $\frac{11}{100}$ p. c.

b) Fixae.

Calcis sulphuricae . . . 2 $\frac{13}{20}$ Gr.

Natri muriatici . . . 3 $\frac{19}{100}$ —

Magnesiae muriaticae . . . 3 $\frac{3}{10}$ —

Vi res harum thermarum eminenter resolventes, simul stimulantes, diuertes, diaphoreticae et diureticae. In spasmis contracturis, obstructionibus viscerum abdominalium, hepatis, lienis, depositionibus metastaticis, morbis chronicis quam plurimis, in rheumatismo, arthritide, impetiginibus, in melancholia, hypochondria et hysteria, tumoribus frigidis, et indurationibus magnas sibi laudes promeruerunt.

Thermis his multum celebratis inter exoticas non aliae magis, quam Badenenses Austriacae, et Landeckianae in Slesia Borussica comparari possunt.

2) *Muriaticae.*

§. 104.

Aquae hujus generis continent in se sales neutros; et in specie Natrum muriaticum, relate ad reliquas partes, quantitate multo majori. Huc pertinet:

AQUA KORONDENSIS.

In territorio pagi Korond Sedis Udvarhely scaturiens. Inter reliquos fontes hic occurrentes ut plurimum martiales sulphureos, tales etiam reperiuntur, qui ferro penitus destituti sunt. Partes itaque horum fontium constitutivae sunt, praeter magnam Gas hydrogenii sulphurati copiam, Natrum muriaticum, Calx sulphurica, et Magnesia carbonica.

Vir es hujus aquae, in pertinacissimis morborum quorundam chronicorum formis persanandis externe in forma balnei adhibitae, egregiae.

Aquae Badensi n territorio Badensi ad Rhenum, et quidem fonti Butt e nominato, analogae.

C L A S S I S S E C U N D A.

Aquae minerales Roborantes.

§. 105.

Ad hanc classem pertinent aquae omnes, quae praeter partes aquarum salinarum proprias, ferro quoque munitae sunt, unde martiales vocan-

tur, et eo solo a reliquis salinis distinguuntur. Sunt quidem inter has aquas, ut ut numero admodum exiguo, etiam tales, quae ob minimam ferri et magnam salium diversorum copiam, vi resolvente majori, quam roborante praeditae sunt, adeoque ad resolventium classem majori jure pertinerent; sed ut dispositionis etiam naturalis respectus aliquis habeatur, illas ad hanc classem referre minime dubitavi.

Recentes ut plurimum limpidae sunt et bulliunt, saporis aciduli adstringentis, ab addito principio tannino seu scytodephico turbantur cum colore aut rubicundo aut nigro. Aëri expositae, amisso Gas carbonico, ferri caldem deponunt.

Complures igitur aquae martiales virtutem suam praecipuam ferro, variis acidis soluto, et ipsi debent aëri carbonico in illis abundanti. Quum vero aquae minerales principia vehant sibi invicem opposita et omnes processus dynamici factores, illarum quoque vim, non solum roborantem, sed etiam resolventem, ideoque mixtam esse, per se patet. Organismo vivo applicatae, effectum in illo producant tam primum quam secundarium, in incitatione et vegetatione conspicuum. Stimulo grato adgrediuntur organa digestionis, resorptionis, assimilationis, secretionis et excretionis; eoque omnes has functiones extollunt. Productionem simul organicam ejusque productum ita mutant, ut salibus suis, qui citiorem ingrediuntur cum materia organica conflictum, materiae organicae cohaesionem primario moderent:

deinde autem salibus per excretionē mox dissipatis, ferro autem diutius retento, producto organico nisum plasticum et robur addunt majus; qui effectus aquarum martialium princeps est et magis constans. Aquae martiales organismo humano praeter reliquis ferri praeparatis ideo conducunt, quod ferrum illi advehant jam penitus solutum minorem organorum digerentium et assimilantium reactionem requirens, et organismi interiora facilius penetrans. Tum et illud hic mentionem meretur, quod per primum salium effectum organismi pro ferro receptivitas debito modo auctur.

Adhibentur in morbis a debilitate vitali cum reproductionis languore, uti in dyspepsia, abundante mucī secretionē, morbo verminoso, alvi segnitie, lienis, hepatis, glandularum tumoribus a passiva humorum congestionē natis, in viscerum obstructionibus, gravaminibus haemorrhoidalibus, hypochondria, melancholia, arthritide, in cachexia chlorotica, hlenorrhoea chronica, amenorrhoea, sterilitate, in tabe ab humorum nobilium jactura, leucophlegmatia, et convalescentia a morbis gravioribus.

Attamen nec debilibus omnibus aquae conveniunt martiales, ut quae ad orgasmum, congestiones, haemorrhagias, abortum dispositis, damnum potius quam salutem adferre possunt.

Applicatio earum aut potu fit, aut balneo; quaecumque autem ratione fiat, sub earum usu regulae sequentes observandae veniunt: a) Dosis

illarum et qualitas praesenti semper irritabilitatis gradui adaptanda est; quem in finem cum mitioribus semper et dosi minori incipiendum, atque non nisi gradatim ad fortiores procedendum. b) Organorum digerentium et assimilantium in ferrum reactio, remediis adjuvanda aromaticis et amaris juste indicatis. c) Regimen diaeteticum conveniens, in parte hujus operis generali propositum, in auxilium vocandum.

Dividuntur aquae martiales, salinarum instar, in sulphureas et non sulphureas.

A. Aquae martiales non sulphureae.

§. 106.

Deficit in his aquis Sulphur, et Gas hydrogenium sulphuratum, solas substantias salinas et terrestres in se continentibus. Genera hujus ordinis sunt: aquae martiales terrestres, alcalinae, muriaticae, et vitriolicae.

1. (1. classis). *Terrestres.*

§. 107.

Aquae martiales terrestres illae vocantur, in quibus sales medii terrestres, uti Calcarea et Magnesia carbonicae, sulphuricae, et muriaticae praedominant. Insunt praeterea his aquis Natrum carbonicum, vel et sales alii neutri, sed multo minori ac reliqui sales quantitate.

Virtus harum aquarum stimulans, resolvens

et roborans; organismum tamen viribus suis non tam valide adgrediuntur, quam quae principio forti alcalino instructae sunt; sed eo ipso pluribus aegris irritabilibus et debilioribus, qui acidulas fortiores perferre nondum valent, magis conveniunt. Huc pertinet:

AQUA SZOMBATFALVENSIS.

In territorio pagi Szombatfalva, Sedis Udvarhely scaturiens, odoris gravis bituminosi, quamvis nulla bituminis vestigia detegi possint; saporis acescentis sat grati, nec nisi ob gravem odorem molesti. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 24 17/25 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 5 73/100 Gr.

Magnesiae carbonicae 2 16/25 —

Natri sulphurici 22/25 —

Natri muriatici 11/50 —

Natri carbonici 1 27/50 —

Aluminae 1 3/10 —

Silicae 11/50 —

Ferri carbonici 1/25 —

Vires. Ut ut odore suo bituminoso ab initio nauseam moveat; postnodum tamen magno cum appetitu bibitur ad appetitum redintegrandum et ad sitim in febris biliosa sedandam.

ACIDULA IEMENDENSIS.

“

In Comitatu Hunyad, limpida, saporis grate

acidi et morsicantis, temperatura 11° Reaum.
Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 3 3/10 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 4 21/25 Gr.

Magnesia carbonicae 5 9/50 —

Natri carbonici 2 1/5 —

Natri sulphurici 1 43/100 —

Natri muriatici 33/50 —

Ferri carbonici 13/100 —

Silicae 11/100 —

Virtus resolvens atque roborans; usus tamen rarus.

Dolenda sane sors hujus aquae neglectae, principii suis constitutivis cum celebri Spaana in territorio Leodinensi certantis.

AQUA BOZISENSIS.

In Comitatu mox memorato, unius et dimidiae horae distantia a thermis Al-Gyógyensibus. Qualitates tum externae tum internae a Kéméndensibus non absimiles, excepto ferro, quod copiosius continet, eoque Spaana nunquam inferior habenda.

AQUA ARAPAIAKENSIS.

In territorio pagi Arapaaka, Comitatus Alben-sis superioris, duplici fonte scaturiens, quorum unus ob colorem turbidum usui solummodo externo, alter potui destinatus, coloris aliquantum

grisei, saporis aciduli, leniter adstringentis sequentes exhibet partes contentas in qualibet libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 45 41/100 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	14 3/50 Gr.
Magnesia carbonicae	1 23/50 —
Natri carbonici	10 27/50 —
Natri sulphurici	1 3/25 —
Natri muriatici	1 9/100 —
Aluminae	1 14 2/5 —
Ferri carbonici	13/50 —
Mater. extract.	27/50 —

Vires hujus aquae eadem quae huic aquarum generi competunt, nondum tamen satis confirmatae. Aquae minerali Tönnensteinensi ad Rhenum analogae.

AQUA KÖRÖNDENSIS.

In territorio pagi Körönd Sedis Udvarhely, (vulgo *Artsó* dicta) sub pede montis Lopágy scaturiens. Inter plures alios fontes hic occurrentes, de quo nunc semo est, usu communi celebrior parcam fundis aquam subopalescentem, odore acidulari, et sapore sat grate acidulo, temperatura 10° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 22 9/50 p. c.

b) Fixae.

Calcareae carbonicae 4 21/25 Gr.

Magnesiæ carbonicæ	1 19/25 Gr.
Natri sulphurici	1 8/25 —
Natri muriatici	33/100 —
Natri carbonici	22/25 —
Aluminae	33/100 —
Silicæ	11/100 —
Ferri carbonici	11/50 —

Virtus minori stimulo resolvens atque roborans, diuretica, antacida et antiseptica. In infarctibus, obstructionibus viscerum abdominalium, in contracturis, articulorum exulcerationibus, et aliis morborum formis, ubi Medicorum conatus ultra penetrare non potuerunt, remedium hucusque exhibuit confirmatae virtutis.

Altwasseranae in Silesia inferiori non absimilis.

AQUA FARKASMEZÖENSIS.

In territorio pagi Almás, in Sede Udvarhely scaturiens, limpidissima, odoris quidquam suffocantis, saporis grate aciduli et sereno coelo pungentis. Partes contentae in una libra ovili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici	50 17/50 p. c.
-------------------------	----------------

b) Fixæ.

Calcis carbonicæ	1 8/25 Gr.
Magnesiæ carbonicæ	22/25 —
Natri sulphurici	33/50 —
Natri muriatici	11/50 —
Natri carbonici	22/25 —
Ferri carbonici	11/50 —
Silicæ	33/50 —

Vires eadem ferme ac aliarum hujus generis aquarum. In tussi chronica pertinaci salubrem saepe praestitit effectum.

AQUA BORSZÉKENSIS.

In Sede Gyergyó, non procul a fonte principali potui destinato, scaturiens. Hic vero fons usui externo dicatus, duplici donatus est origine: inferior claritate superiorem excellit, odoris est suffocantis, sed non foetidi, saporis grate acidi, morsicantis, temperatura 8° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici quantitas indeterminata.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	13 1/5	Gr.
Magnesiae carbonicae	7 5/100	—
Natri carbonici	15 8/26	—
Natri sulphurici	1 8/25	—
Natri muriatici	83/100	—
Silicae	83/100	—
Ferri carbonici	11/25	—

ACIDULA RÁKOS.

In territorio pagi Csikszentmihály, in Sede Csik scaturiens, minus limpida, odoris nullius, saporis grate acidi. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 35 6/25 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 5 30/100 Gr.

Magnesiae carbonicae	1 27/50	Gr. ✓
Natri carbonici	4 31/50	—
Natri sulphurici	1 8/25	—
Natri muriatici	33/50	—
Aluminae	11/25	—
Mater. extract.	11/50	—
Ferri carbonici	13/25	—

Vires resolventes atque roborantes possidet;
Cum Antogastana in Ducatu Badensi comparari potest.

ACIDULA SZÁLDOBOSENSIS.

In territorio pagi Száldobos, Sedis Udvarhely
 Sede filiali Bardótz scaturiens; minus limpida,
 colore nullo, odore subili penetrante, sapore
 grate acido, morsicante, temperatura 9° Reaum.
 Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 35 6/25 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	2 3/10	Gr.
Magnesiae carbonicae	1 27/50	—
Natri carbonici	2 16/25	—
Natri sulphurici	41/50	—
Natri muriatici	33/50	—
Silicae	41/50	—
Ferri carbonici	13/25	—

Vires eminenter roborantes possidet. Omni-
 bus ergo, qui diuturnis morbis, vel luxuria de-
 bilitati sunt, commendari potest; praeterea et
 haemorrhoides caecas resorasse, casus testantur
 certi.

In Districtus Rodnensis valle Aranyos dicta scaturiens, coloris nullius, saporis acidi, atramenti, temperatura 9° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 14 89/100 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 1 27/100 Gr.

Calcis muriaticae 1 9/25 —

Natri sulphurici 18/25 —

Natri muriatici 9/25 —

Natri carbonici 27/100 —

Silicae 9/50 —

Ferri carbonici 87/100 —

Vires fere caedem ac praecedentis.

2) *Alcalinae.*

§. 108.

Prædominium salium alcalinorum, uti Natri carbonici, sulphurici, et muriatici, prae caeteris salibus terrestribus; tum Gas carbonici praesentia, characterem harum aquarum genericum constituunt.

Organismum principio suo alcalino abundante valide adgrediuntur, et vires exerunt praestantissime resolventes, stimulantes, atque roborantes. Hinc non absque ratione, aquas terrestres stimulo debiliori in organismum agentes, his praemittere placuit. Et hic, in quantum fieri potuit, eundem servare ordinem, ut magis resolventes

quam roborantes, eas cum vi roborante fortiori instructas praecedant, sollicite studui. Aquae huc pertinentes sunt sequentes:

THERMAE PRINCIPIS APAFI.

In territorio Oppidi Al-Gyógy, uti jam dictum est, plures scaturiunt fontes tam salini quam martiales, e quibus thermae martiales a Principe denominatae, et qualitatibus suis physicis cum salinis convenientes, contentis solum ab illis differunt; unde et vires exhibent peculiariter modificatas. Partes itaque harum thermarum martialium contentae in una libra civili 16 unciarum sunt:

a) Volatiles.

Gas carbonici 15 17/20 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 3 2/25 Gr.

Magnesiae carbonicae 5 13/25 —

Natri carbonici plus quam 7 12/25 —

Natri muriatici 22/25 —

Silicae 33/50 —

Natri sulphurici quantit. indetermin.

Ferri carbonici quantit. indetermin.

Vires efficacissime resolventes, tum roborantes. Adhibentur in morbis pituitosis, infarctibus viscerum abdominalium, affectione haemorrhoidali; arthritide, sabulo urinali, rheumate, contracturis, et paralyti, cum successu felicissimo.

Thermis Töplitzensibus Bohemiae, et quidem fonti Gartenquelle dicto non absimiles.

In territorio pagi Lövete, Sedis Udvarhely processu superiori Homorod dicto, scaturiens; aquas praebet limpидissimas, copiosissimas, quolibet minuto secundo 2ß mensuras civiles adaequantas, odore acidulari, sapore acri quasi et pungente, sed tamen gratissimo. Partes contentae hujus aquae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 35 37/100 p. c.

b) Fixae.

Natri sulphurici 2/25 Gr.

Natri muriatici 1 3/25 —

Natri carbonici 4 2/5 —

Calcis carbonicae 3 33/50 —

Magnesiae carbonicae 2/25 —

Silicae 73/100 —

Ferri carbonici 17/100 —

Vires hujus acidulae sunt bene resolventes, grate stimulantés, et modice roborantes. Homi- nibus, ventriculi debilitate laborantibus optime conducit; praeterea in doloribus rheumaticis chronicis, arthriticis, et tussi pertinaci, jam saepe levamen adtullit.

ACIDULA BODOHENSIS.

In Sede Sepsi ad pagum Bodok scaturiens, limpida, odoris subtilis acidularis, saporis grate acidi et serius quasi subalcalini, temperatura 10° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 49 $\frac{6}{25}$ p. e.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 4 $\frac{39}{100}$ Gr.
 Magnesia carbonicae 2 $\frac{41}{100}$ —
 Natri carbonici 31 $\frac{41}{50}$ —
 Natri sulphurici 3 $\frac{7}{100}$ —
 Natri muriatici 1 $\frac{9}{100}$ —
 Ferri carbonici 2 $\frac{1}{100}$ —

Vires exerunt resolventes insignes, antacidās, diureticas, diaphoreticas, et diluentes, nervos excitant, appetitum depravatū emendant, et modice roborant.

Analogiam habet cum acidula Bilinensi Bohemiae, et quidem fonte a Josepho denominato.

ACIDULA BORSZÉKENSIS.

In Sede Gyergyó scaturiēns, limpida odoris subtiliter penetrantis, saporis gratissimi, pungentis, temperaturae 8° Beaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 56 $\frac{27}{100}$ p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 12 $\frac{13}{25}$ Gr.
 Magnesia carbonicae 5 $\frac{13}{50}$ —
 Natri carbonici 18 $\frac{4}{5}$ —
 Natri sulphurici 1 $\frac{3}{4}$ —
 Natri muriatici 13 $\frac{20}{100}$ —
 Aluminae 8 $\frac{7}{100}$ —
 Silicae 8 $\frac{7}{100}$ —
 Ferri carbonici 1 $\frac{7}{100}$ —

Vires. Acidula haec longe lateque hospitum frequentia celebris, non solum suavitate saporis ad celeberrimas, quae existunt, numerari meretur aquas; sed etiam in curationibus diversorum morborum formis vires exerit stupendas. Organismo itaque applicata, materiae organicae spissioris solutionem, resorptionem, circulum per vasa capillaria, et totum vasorum systema, secretiones et excretiones, urinalem praecipuè impellit, haemorrhagas suppressas movet, et statum simul colliquativum restringit. Aëris carbonici abundantia nervos suaviter afficiens, illos restaurat, et tonum simul partium laxarum atque debilium auget. Hinc in viscerum abdominalium tumoribus a languente circulatione, in affectionibus haemorrhoidalibus, amenorrhoea, arthritide, calculo urinali, in suppurationibus profusis, et nata inde febrî hectica, nec non in tabe nervosa summa cum laude adhiberi solet.

Bibitur ad libras duas, tres, aut quatuor de die, vel sola, vel cum lacte. Pro uso externo fontes alii martiales hic loci praesto sunt, de quibus inter alias aquarum species videre licet.

Fonte parvo Bilinensi in Bohemia comparari potest.

ACIDULA JARABEALVENSIS.

In Sodo filial. Kaszon limpida, odoris subtilis suffocantis, acidularis, saporis intense, sed tamen grate acidi, temperatura 9° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 52 $\frac{4}{5}$ p. c.

b) Fixae.

Natri carbonici 21 $\frac{3}{25}$ Gr.Natri sulphurici 5 $\frac{7}{25}$ —Natri muriatici 1 $\frac{49}{50}$ —Calcis carbonici 7 $\frac{1}{25}$ —Magnesiae carbonicae 5 $\frac{51}{100}$ —

Silicae 21/100 —

Ferri Carbonici 22/25 —

Vires hujus acidulae eadem ac praecedentis, cum qua maximam habet analogiam.

ACIDULA SZENTGYÖRGYENSIS.

In territorio pagi Szentgyörgy, in Districtu militari Rodnensi; limpida, odore quidquam sulphureo, sapore acido, salso, et pungente, temperatura 11° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 57 $\frac{3}{25}$ p. c.

Gas sulphurosi ?

b) Fixae.

Calcis carbonicae 11 $\frac{27}{50}$ Gr.Magnesiae carbonicae 5 $\frac{3}{50}$ —Natri carbonici 15 $\frac{27}{50}$ —Natri sulphurici 1 $\frac{13}{50}$ —Natri muriatici 26 $\frac{1}{50}$ —

Silicae 9/50 —

Ferri carbonici 18/25 —

Vires. Appetitum depravatum excitat, vomitus spontaneos mucosos sedat, praeterea in morbis

pituitosis, infarctibus, viscerum abdominalium, et glandularum mesentericarum obstructionibus, indeque nata feбри intermittente pertinaci, optatum saepe fert auxilium.

Selteranà in territorio Trevirensi apprime comparari potest.

ACIDULA DOMBHATENSIS.

In eodè Districtu ac praecedens, limpida, odoris sulphurei, saporis acidi pungentis, temperatura 10° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 41 33/50 p. e.
Gas sulphurosi ?

b) Fixae.

Calcis carbonicae 10 3/25 Gr.
Magnesiae carbonicae 4 61/100 —
Natri carbonici 25 7/50 —
Natri sulphurici 2 17/100 —
Natri nitrici 6 51/100 —
Manganii carbonici 27/100 —
Silicae 9/100 —
Mater. extract. 1/50 —
Ferri carbonici 81/100 —

Ob virtutem solventem et roborantem, in primarum viarum et organorum respirantium affectionibus pituitosis, catarrhalibus, in rheumate et arthritide chronicis, in laxitate et debilitate viarum urinalium, sabuli productione, viscerum infarctibus, feбри biliosa et putrida, morbis impetiginosis, tinea, herpette, in hypochondria,

hysteria, melancholia, in haemorrhoidibus caecis, et amenorrhoea laudata.

Fachingensi in Ducatu Nassauensi non absimilis.

ACIDULA POJÁNENSIS.

In Sede filiali Kézdi, Sedis primariae Háromszék scaturiens, sat limpida, odoris nullius, saporis aciduli. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici	49 6/25 p. c.
-------------------------	---------------

b) Fixae.

Calcis carbonicae	6 59/100 Gr.
Magnesia carbonicae	1 3/10 —
Natri carbonici	14 71/100 —
Natri sulphurici	2 19/100 —
Natri muriatici	1 33/100 —
Silicae	21/100 —
Ferri carbonici	87/100 —

Vires ab experientia nondum confirmatae. Gas carbonicum cito amittens turbulenta evadit, unde etiam transportationi minus idonea.

ACIDULA LÖVETENSIS.

Inter alias in territorio pagi Lövete scaturientes aquas, et illa ab *Hámor* denominata, hic mentionem meretur. Qualitates igitur hujus fontis sunt sequentes; aqua sat clara, cum odore acidulari, et sapore gratæ acido. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 30 27/50 p. e.

b) Fixae.

Natri sulphurici 1 49/50 Gr.

Natri muriatici 3 2/25 —

Natri carbonici 4 2/5 —

Calcis carbonicae 3 2/25 —

Magnesiae Carbonicae 1 19/25 —

Silicae 3/25 —

Ferri carbonici 53/100 —

**Virtus diluens, antiseptica, et magis quam
praecequentium, roborans.**

ACIDULA BÓRVÖLGYENSIS.

In Districtu Rodnensi, non procul ab Oppido
Rodna, in valle Borvölgy nuncupata; limpida,
saporis acidi, leniter stiptici, temperatura 8° R.
Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 27 17/20 p. e.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 1 99/100 Gr.

Magnesiae carbonicae 1 9/20 —

Natri carbonici 5 43/100 —

Natri sulphurici 1 7/20 —

Natri muriatici 81/100 —

Mater. extract. 9/25 —

Ferri carbonici 99/100 —

Vires fere eadem ac Dombhátensis.

ACIDULAE HOMORODENSES.

In processu superiori Sedis Udvarhely plures

scaturiunt fontes martiales, a quibus tamen hi, de quibus nunc sermo est, vulgari nomine *Gödrös*, facile distinguuntur. Ad has acidulas usui interno dicatas, et in superiorem atque inferiorem distinctas, fons etiam pro balneo ubique praesto est.

α. Acidula superior.

Limpidissima, odoris et saporis acidularis, temperatura 8° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 28 29/50 p. c.

b) Fixae.

Natri sulphurici	1 13/50	Gr.
Natri muriatici	49/50	—
Natri carbonici	4 2/100	—
Calcis carbonicæ	1 13/50	—
Calcis sulphuricæ	13/100	—
Magnesiæ carbonicæ	49/50	—
Silicæ	61/100	—
Ferri carbonici	43/100	—

β. Acidula inferior.

Non procul a superiori, recentèr hausta limpidissima, quiete obscuranda, odore subtili, nares feriente, saporis grate acidi. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 35 21/100 p. c.

b) Fixae.

Natri sulphurici 1 2/5 Gr.

Natri muriatici	1 2/5	Gr.
Natri carbonici	3 19/50	—
Calcis carbonicae	3 9/100	—
Magnesiae carbonicae	1 2/25	—
Calcis sulphuricae	7/0	—
Silicae	14/25	—
Ferri carbonici	33/50	—

Vires harum acidularum sunt resolventes, diureticae, diluentes, antisepticae et roborantes. Hinc in obstructionibus viscerum abdominalium, humorum degenerationibus ob solidorum laxitatem et torporem, in debilitate universali, cum felici successu adhibentur. In specie autem in hepatis, lienis; aliorumque viscerum abdominalium infarctibus, in haemorrhoidibus caecis, morbis pituitosis, verminosis, rheumaticis, arthriticis, debilitate ventriculi, acido primarum viarum, affectione scorbutica, hypochondria, hysteria, morbo calculoso, dysuria, ictero, rachitide, chlorosi, tussi mucosa, pthysi pituitosa, et aliis morborum formis in usum trahuntur.

Bibuntur a libra una incipiendo ad libras quatuor vel solae, vel lacte, aut vino permixtae.

Aquis Unterbrambachensibus in Saxonia analogae.

AQUAE BORSÁROSENSIS.

In territorio pagi Csikszentkirály, in Sede Csik, plures quam triginta scaturiunt fontes, iisdem utrique qualitatibus et partibus constitutivis gaudentes, solo usu a se invicem distinguendi: Sat limpidae, colore et odore nullo, sapore aci-

dulo, parum atramentoso, temperatura $10^{\circ} - 14^{\circ}$ Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 24 11/100 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 1 8/25 Gr.

Magnesiae carbonicae 1/20 —

Natri carbonici 3 1/20 —

Natri sulphurici 1 19/25 —

Natri muriatici 11/25 —

Aluminac 11/25 —

Ferri carbonici 87/100 —

Vires harum aquarum magis roborantes quam reliquarum huc pertinentium. Hinc in plurimis morbis impetiginosis, scabie, herpete, ulceribus, rheumatismo chronico, arthritide, contracturis, paralyti, aliisque morbis a debilitate ortis, felici successu adhibentur.

AQUA MEDVEPATARENSIS

In Districtu Rodnensi, et territorio Oppidi Rodna scaturiens, limpidissima, colore nullo, sapore acidulo, stiptico, minime grato. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 20 9/10 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae 9/50 Gr.

Natri carbonici 19/50 —

Natri sulphurici 9/25 —

Mater. extract. 9/50 —

Ferri carbonici 27/50 —

Vires hujus acidulae egregie roborantes; unde organismi partes debilitatas et laxas, praecipuis autem ventriculum debile roborat, circulum humorum, et calorem naturalem auget. Adhibetur in debilitate partium genitalium, fluore albo, nimio menstruorum fluxu, chlorosi, sterilitate, spasmis a debilitate et irritabilitate nervorum natis, podagra, rachitide, scrophula, et obesitate.

AQUA RODNENSIS.

In ipso Oppido Rodna scaturiens, coloris et odoris nullius, saporis aciduli atramentosi. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas carbonici 9 29/100 p. c.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	1 9/30	Gr.
Magnesiae carbonicae	27/100	—
Natri carbonici	9/10	—
Natri sulphurici	99/100	—
Natri muriatici	9/15	—
Mater. extract.	9/100	—
Ferri carbonici	1 2/25	—

Vires uti praecedentis, iisdemque morborum formis comedandae.

3) Muriaticae.

§. 109.

Aquae martiales hujus generis, per majorem tantum Natri muriatici quantitatem, quoad reli-

quas partes, et Natri carbonici defectu, ab aliis distinguuntur alcalinis. Huc pertinent:

SALINAE SÓSMEZÖENSES.

Inter Erdő Vidéze, et Sedes Siculicas Háromszék et Kászón, sub jugo montis Büdöss scaturientes, aquas praebent martiales in hoc genere praestantissimas.

SALINA LÖVETENSIS.

In territorio pagi Lövete Sedis Udvarhely, non procul a fonte ab Hámor denominato, scaturiens, parce subministrat aquas clarissimas odoris, praeterquam acidularis, nullius, saporis vero acute salsi, unde et nomen *Sós-borvíz* inditum gerit.

Continet in se aërem carbonicum, Natrum muriaticum, Calcem, et Magnesiam, sulphuricas vel muriaticas, atque ferrum carbonicum. Prioribus salinis multum analoga.

4) *Vitriolicae.*

§. 110.

Aquae minerales, ad hoc genus pertinentes, praeter ferrum carbonicum etiam ferrum muriaticum vel et sulphuricum, nec non terram aluminarem sat magna copia in se continent. A praedominio salium terrestrium proprie etiam ad aquas martiales terrestres pertinent; sed a partibus nunc dictis peculiariter modificatae, non immerito ab illis separatae traduntur. Unica tantum species

harum in Transylvania ferro sulphurico instructa provenire solet.

Virtus harum aquarum egregie roborans, et adstringens. Ob saporem minus gratum usui externo destinatae. Huc pertinet:

AQUA ZOVÁNYENSIS.

In territorio pagi Zovány Comitatus Kraszna scaturiens; clara, coloris nullius, odoris peculiaris, saporis quidquam acidi, subdulcis, et adstringentis. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Vacant.

b) Fixae.

Calcis carbonicae	12	$\frac{73}{100}$	Gr.
Magnesiae sulphuricae	9	$\frac{9}{50}$	—
Aluminae sulphuricae	71	$\frac{11}{50}$	—
Magnesiae muriaticae	16	$\frac{25}{100}$	—
Materiae extract.	17	$\frac{20}{100}$	—
Ferri sulphurici	3	$\frac{4}{25}$	—

Vires ostendit in plurimis morborum formis egregie roborantes. Aqua calefacta, in atonia, laxitate et debilitate totius corporis, nec non ulceribus chronicis consolidandis, balnei forma applicatur. Praeterea in exanthematibus quibusdam chronicis, in febribus intermittentibus, rheumatismo, arthritide, diarrhoea chronica, ophthalmia infantum, et morbis aliis chronicis vulgi laudem saepius promeruit.

Ejusdem indolis est ac Buckowinensis in Silesia inferiori.

B. Aquae martiales sulphureae.

§. 111.

Aquae minerales ad hunc ordinem pertinentes sunt omnium compositissimae; velunt enim non solum ferrum, sales diversos tam neutros quam medios, sed etiam sulphur vel in substantia, vel in Gas hydrogenio solutum, vel in utroque simul statu cum reliquis partibus mixtum. Etiam Gas carbonicum, ut ut non semper, in hoc aquarum ordine provenire solet.

Vir tus harum aquarum resolvens non exigua, et quod ea per ferrum et sulphur ad gradum fortius stimulantem simul et roborantem ascendat, nec non processus dynamici species omnes in organismo vivo mutant, per se patet.

Dividuntur in terrestres, alcalinas et meriaticas.

1) *Terrestres.*

§. 112.

In his aquis, praeter ferrum et sulphur sales etiam alii terrestres et neutri occurrunt. Huic spectat:

AQUA LÁZÁRFALVENSIS.

In Sede Csik sub colle Búdöss scaturiens, vulgo sub nomine *Fortyogó* nota; odoris bituminosi, gravis, jam a longinquo se prodentis, suffocantis, turbidissima, spumosa, saporis fortis, aciduli. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas acidi sulphurosi cum
Gas carbonico combinati . . . 38 26/50 p. e.

b) Fixae.

Calcis sulphuricae 3 29/100 Gr.
Natri muriatici 3 1/10 —
Magnesiae muriaticae 2 2/10 —
Mater. extract. 5 2/25 —
Ferri carbonici 5/100 —
Bituminis quantit. indetermin.

Vires in arthritido, contracturis, ulceribus pessimis, exanthematibus chronicis pertinacissimis, stupendae.

Adhibetur externe pro balneo, cui tamen caute insidendum praecipue mane et vesperi, nam facile balneans suffocari potest.

AQUA TORJENSIS.

Vulgo *Sombor* nominata, in Sede Kézdi ad radicem montis celebrati Búdöss scaturiens, turbida, sordide flavescens, odore sulphureo, sapore acidulo, nauseoso-dulcescente; temperatura 9° R. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas acidi sulphurosi quantitas sat magna,
sed indeterminata.

b) Fixae.

Calcis muriaticae 99/100 Gr.
Natri muriatici 87/100 —
Calcis sulphurosae 3 13/50 —
Magnesiae sulphurosae 1 8/25 —
Natri sulphurosi 2 1/5 —
Mater. extract. 1 1/5 —
Ferri carbonici 21/100 —

Vires. Exacta hujus aquae in morbis efficacia nondum pro merito determinata est.

AQUA MÁLNÁSENSIS.

Alias *Bugyogó* nominata, in Sede Sepsi supra pagum Málnás scaturiens; turbida, sordide flavescens, odoris ardenti sulphuri non absimilis, nares stringens, suffocans, saporis aciduli, ingrate dulcescentis, temperatura 15° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas acidi sulphurosi 22 33/50 p. c.

b) Fixae.

Calcis sulphurosae	5 3/10	Gr.
Magnesiae sulphurosae	1 8/25	—
Natri sulphurosi	22/25	—
Natri muriatici	1 8/25	—
Aluminae	1 1/40	—
Mater. extract.	22/25	—
Ferri sulphurici	33/50	—

Vires in morbis a torpida cutis functione natis, rheumate, scabie, herpete, in spasms et inde natis contracturis atque similibus morborum formis efficaces.

AQUA KOVÁSZNENSIS.

In territorio pagi Kovászna Sedis Orbai scaturiens; vulgari nomine *Pokolszár* nota; subturbida, odore fere nullo, insuetis tamen ingrato, sapore acidulo, minus grato, atramentoso, temperatura 0° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas acidi sulphurosi cum	
Gas carbonico mixti	51 37/50 p. c.

b) Fixae.

Natri muriatici	1 1/10 Gr.
Natri sulphurosi	2 43/50 —
Calcis sulphurosae	3 17/50 —
Magnesia sulphurosae	99/100—
Materiae extract.	11/50 —
Ferri sulphurici	22/25 —

Vires roborantes longe lateque sunt celebres, unde haec aqua a multis frequentatur hospitibus. Usus ut plurimum externus, quem potentiores cum interno, acidulis ex Bodok aut Borszék allatis, combinare solent. Calefactae instar balnei, in plurimus morborum formis paulo ante memoratis applicantur.

in
2) *Alcalinae.*

§. 113.

Character genericus harum aquarum ex dictis jam patet, et sulphuris tantum praesentia ab aliis alcalinis martialibus se distinguunt. Huc pertinet:

FOVS SULPHURATUS BORSZERENSIS.

In Sede Gyergyó scaturiens, limpidus, coloris nullius, odoris manifeste sulphurei, saporis grate acidi, temperaturae ad sensum minus frigidae. Partes constitutivae eadem quae reliquarum Borszékensium, ea tamen differentia, ut in hoc fonte sulphurato praeter majorem Natri carbonici copiam ferrum quoque et Sulphur contineatur.

Vires potenter resolventes, stimulantés et roborantes. In morbis arthriticis exanthematicis aliisque ubi sulphur indicatur, aut nimia debilitas usum fontis primarii non procul scaturientis vetat, egregie usurpari potest.

3) *Muriaticae.*

§. 114.

In quibus Sal communis praedominat, omnes huc pertinent aquae sulphureae martiales. Talis est:

AQUA SZOMBATEALVENSIS.

In territorio pagi Szombatfalva Sedis Udvarhely, a fonte non sulphurato tercentis circiter passibus distans, limpidissima, odoris ovo putrido non absimilis, multum ingrati, saporis manifeste salsi, temperatura 9° Réaüm. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas hydrogenii sulphurati quant. indetermin.

Gas carbonici 25 17/100 p c.

b) Fixae.

Natri muriatici 11 3 50 Gr.

Natri carbonici 3 2/25 —

Calceis carbonicae 2 1/5 —

Magnesiae carbonicae 22/25 —

Silicae 21/25 —

Sulphuris 22/25 —

Ferri carbonici 2/25 —

Vires. In morbis cutaneis, impetiginosis, in affectionibus arthriticis, rheumaticis, spasma-

dicis aliisque similibus saepe levamen adtulisse ex observationibus constat. Externe in forma balnei applicatur.

AQUAE KORONDENSES

Salso sulphureae, vulgo *Szejke* denominatae, e regione fontis acidularis sub pede montis Hol-lókő scaturientes, odore sulphureo gravi, et sapore proprio notabiles. Continent Gas hydrogenium sulphuratum, Gas carbonicum, Natrum muriaticum, terras alias absorbentes et ferrum.

Vires harum aquarum merito aestimandarum in morbis pertinacissimis chronicis efficacissimae. In tumore et ulceribus pedum, in morbis impetiginosis quam plurimis felici successu adhibentur.

AQUA SIBOËNSIS.

In Comitatu Szolnok mediocri, non procul ab Oppido 'Sibo scaturiens, sat clara, colore nullo, odore sulphureo gravi, sapore intense salso, nauseoso, temperatura 11° Reaum. Partes contentae in una libra civili 16 unciarum.

a) Volatiles.

Gas hydrogenii sulphurati	24	$\frac{37}{100}$	p. c.
Gas carbonici	3	$\frac{12}{25}$	—

b) Fixae.

Calcis carbonicae	1	$\frac{2}{25}$	Gr.
Magnesiae carbonicae	3	$\frac{3}{50}$	—
Natri sulphurici	81	$\frac{23}{25}$	—
Natri muriatici	90	$\frac{1}{10}$	—
Oxydi Ferri		$\frac{1}{10}$	—

Vires hujus aquae diluentes, penetrantes, eximie resolventes et roborantes. Hinc in rheumatismo inveterato, arthritide, paralyti, membrorum debilitate, obstructionibus viscerum abdominalium, ulceribus scrophulosis, exanthematibus chronicis retropulsis, scabie, herpete, et aliis morborum formis solamen promittunt.



A P P E N D I X
LITTERATURAM AQUARUM MINERALIUM
TRANSYLVANIAE INDIGENARUM
COMPLECTENS.

L. Wagner. Dissertatio inauguralis medico-chemica, de aquis medicatis Transylvaniae. Viennae 1783.

J. Barbenius chemische Untersuchung einiger merkwürdigen Sauerbrunnen des Szekler Stuhl's Háromszék. 8. Hermanstadt 1792.

F. Nyulas Analysis aquarum medicatarum Magni Principatus Transylvaniae indigenarum (idiomate hungarico) Tom. 3. in 8. Claudiopoli 1800.

A. Gergelyfi de aquis et thermis mineralibus terrae Sicularum Transylvaniae. 8. Cibinii 1811.

Ejusdem Analysis quarundam aquarum mineralium M. Principatus Transylvaniae. 8. Claudiopoli 1814.

